



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

P. Svbdiacono Nostro Præposito, & Capitulo Ebredunensi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

justitiam denegare; nec metum quem ob vitium falsitatis incurrerant allegare valebant, cum iidem hujusmodi incusserant sibi metum, nec ex eo erant aliquatenus excusandi unde debebant potius condemnari. Nos igitur his & aliis diligenter auditis quæ partes coram nobis proponere voluerunt, de consilio fratrum nostrorum prædictas sententias, quas manifestè cognovimus esse justas, decrevimus confirmandas. Nulli ergo &c. *usque* incursum. Datum Laterani 14. Non Januarij, pontificatus nostri anno quartodecimo.

EPISCOPO ET CUSTODI
Argentinesi.

Epist. 138.
Ne vulgaria
judicia exer-
cantur à Pres-
byteris.

Licet apud iudices seculares vulgaria exerceantur judicia, ut aquæ frigida, vel ferri candentis, sive duelli, hujusmodi tamen judicia Ecclesia non admittit, cum scriptum sit in lege divina: *Non tentabis Dominum Deum tuum*. Hoc igitur observato, circa purgationem Reiboldi laetoris præsentium, qui super hæretica pravitate asseritur infamatus, taliter procedatis quod morbus iste, qui serpit ut cancer, per vestram sollicitudinem circumspectam perfectè curetur, ita quod cum nec iniquum gravet iudicium, nec misericordia dissoluta confundat. Datum Laterani 5. Idus Januarij, pontificatus nostri anno quartodecimo.

P. PRÆPOSITO EBREDUNENSI
Subdiacono nostro.

Epist. 139.
Recipitur sub
protectione
B. Petri.

Cum à nobis petitur quod justum est & honestum &c. Eapropter, dilecte in Domino filii, &c. *usque* inclinati, personam tuam cum omnibus bonis tam ecclesiasticis quam mundanis quæ in præsentiarum rationabiliter possides, aut in futurum justis modis dante Domino poteris adipisci, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus. Specialiter autem præposituram & canonicam Ebredunensis Ecclesie cum pertinentiis suis, sicut eas justè possides & quietè, auctoritate tibi apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. *usque* incursum. Datum Laterani 14. Idus Januarij, pontificatus nostri anno quartodecimo.

P. SUBDIACONO NOSTRO
Præposito, & Capitulo Ebredunensi.

Epist. 140.
De supplenda
negligentia

Postulastis per sedem apostolicam edoceri ut cum ad vos simul & Archie-

piscopum vestrum donatio præbendarum Ecclesie vestre pertineat, utrum præbendæ vacantis donatio penes Archiepiscopum ipsum remaneat, si eam infra semestrem tempus neglexeritis pariter ordinare. Ad quod vobis breviter respondemus quod cum vos & idem Archiepiscopus infra tempus præscriptum negligentibus exitis circa collationem vacantium præbendarum, sicut nec ab illo ad vos, ita nec à vobis ad illum potestas devolvitur conferendi, sed secundum statuta Lateranensis Concilij ad superiorem transit donatio eorum, nisi fortè Archiepiscopus, non ut Prælatus, sed ut Canonicus, vobiscum jus habeat conferendi; & in hoc casu, si dolosè forsitan impenderit, dolus ei suffragari non debet. Datum Laterani 14. Idus Januarij, pontificatus nostri anno quartodecimo.

ABBATI ET CONVENTUI
Corbeienfi.

Cum à nobis petitur quod justum est & honestum &c. *usque* perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filij vestris justis postulationibus &c. *usque* assensu, sententiam diffinitivam quam pro vobis contra nobilem virum W. Advocatum Bethuniæ super quibusdam tallis & exactionibus quas dictus Advocatus indebitè vestris hominibus imponebat, dilecti filij sancti Martini de Gemellis & sancti Acheloi Abbates & Præcentor Ambianensis, à nobis iudices delegati, exigente justitia protulerunt, sicut est justa, nec legitima provocatione suspensa, auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. *usque* incursum. Datum Laterani 11. Kal. Januarij, pontificatus nostri anno quartodecimo.

UNIVERSIS EPISCOPIS IN
quorum episcopatibus malefactores Corbeien-
sis monasterij commorantur.

Qvanto amplius Corbeienfe monasterium ad jus & proprietatem sacrosanctæ Romanæ Ecclesie noscitur pertinere, & specialius ad ejus curam respicit & tutelam, tanto ad defensionem & conservationem ipsius propensiori cura nos oportet intendere, & ejus jura illibata & integra conservare. Inde est quod universitati vestre per apostolica scripta mandamus quatinus illos parrochianos vestros qui possessiones & bona præfati monasterij auferre præsumpserint & ea temerariè molestare, cum omni